

loquitur priori modo, nec loqui potuit, cum absolute loquendo fidei repugnet. Loquitur ergo in posteriori sensu, ut ex verbis ejus evidenter constat. Dixerat enim: *Frequenter irrepit terrenarum illecebra voluptatum et vanitatum offusio mentem occupat, ut quod evitare studeas, mente volvas, quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile.* Et postea subdit: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum;* et adjungit: *Sed nostræ cogitationes quæ improviso offusæ mentem animumque confundunt, atque alio trahunt, quam tu proposueris, ad secularia revocant, etc.* Ad superandas autem et vincendas has cogitationes, requirit Ambrosius speciale gratiæ auxilium, non physicam prædeterminationem. Unde Augustinus, l. de Perseverant., c. 8, et l. 2 contra Julianum, cap. 8, et lib. 4 contra duas epistol. Pelagianorum, cap. 11, tractans hæc verba Ambrosii, nihil aliud ex illis colligit, nisi necessitatem divini auxilii, et illud inchoandum esse per sanctam cogitationem, quæ in nostra potestate non est; ac denique dicta verba explicat per illa Pauli: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

14. *Objicitur Hieronymus.* — Tandem objicitur nobis Hieronymus, primo, in Epistola ad Ctesiphontem, ubi, postquam retulit argumentum Pelagii, quod, si voluntas indigeret divino auxilio, non esset libera, illud improbat tanquam blasphemum et impium: *Nam per arbitrii libertatem (inquit) asserunt se nequaquam ultra necessarium habere Deum, et ignorant Scripturam: Quid habes quod non accepisti, etc.* Verumtamen argumentum ab hoc testimonio sumptum eundem habet defectum, quem sæpe notavimus, quia ex necessitate auxilii divini infert necessitatem physicæ prædeterminationis, quæ illatio nullius momenti est, ut per se constat. Sicut e contrario peccabat Pelagius, ex necessitate divini auxilii inferendo tolli libertatem, quæ nulla illatio est, quia auxilium excitans et adjuvans, seu concomitans, non repugnat libertati, alias etiam dependentia quoad generalem concursum libertati repugnaret, quod sensisse Pelagium in ultimo prolegomeno diximus, et valde probabile est illud etiam a Hieronymo impugnari; secus autem esset si argumentum Pelagii fieret contra solam physicam prædeterminationem; nam si illa esset semper necessaria, frustra diceretur voluntas libera, cum nunquam posset se determinare. Quia vero contentio Pelagii cum Catholicis non

erat de prædeterminatione physica, ideo frivolum erat argumentum Pelagii, cui etiam Hieronymus, tractando verba Pauli: *Non est volentis, neque currentis, etc.*, occurrit, dicens: *Velle et currere meum est (utique per meam determinationem), sed hoc ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.*

15. *Hieronymus.* — Et eundem sensum habent alia verba Hieronymi ad Ephes. 2, quæ non melius pro physica prædeterminatione afferuntur, cum vel illi nullo modo faveant, vel potius repugnent: nam circa illa verba: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, addit Hieronymus: Hæc ipsa fides non est ex vobis, sed ex eo qui vocavit vos,* ubi aperte significat illud esse dictum a Paulo ratione vocationis, non ratione physicæ prædeterminationis. Et in eodem sensu subjungit: *Addidit itaque, et dixit fidem quoque nostram non nostræ voluntatis, sed Dei muneris, quod ipsemet exponit, dicens: Non quod homini liberum tollatur arbitrium, et, secundum illud Apostoli ad Romanos, non sit volentis, nec currentis, sed miserentis Dei, verum quod ipsa arbitrii libertas Deum habet auctorem, et ad illius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonum nos velle ipse permiserit;* ubi maxime pondero verbum *permiserit*, directe enim opponitur verbo *prædeterminandi*, et usurpatum est a Hieronymo in generali significatione, explicando nobis quomodo divina gratia præveniens, per vocationem (ratione cujus dictum est illud: *Non est volentis, neque currentis*, et illud: *Hoc non ex vobis*), voluntatem non determinet, sed sinat operari bonum, si velit. Denique similia sunt verba ejusdem Hieronymi, in illa verba Jeremiæ 24: *Dabo eis cor ut sciant me, quæ comparat cum illis Pauli: Deus est qui operatur in nobis velle, et utrisque doceri dicit, quod non solum opera, sed etiam voluntas nostra Dei nitatur auxilio;* et cap. 26, circa principium: *In nostra quidem potestate positum est facere quid, et non facere, ita duntaxat ut quidquid boni operis volumus, ad Dei gratiam referamus, qui, juxta Apostolum, dedit nobis velle et perficere.*

## CAPUT XLII.

AUGUSTINUM IN VOCATIONE CONGRUA, SINE PHYSICA PRÆDETERMINATIONE, EFFICACEM PRÆVENIENTEM GRATIAM CONSTITUISSE.

1. *Scopus et dispositio capitis.* — Tria in hoc titulo proponimus. Primo enim dicimus Au-

gustinum posuisse gratiam efficacem in quadam vocatione, et hoc probavimus late supra, cap. 5. Secundo, affirmamus illam vocationem, quæ efficax esse dicitur, talem dici et esse, quia infallibiliter consensum obtinebit, idque habere ex congruitate quadam ad eum cui datur, quam congruitatem præcivit Deus et observavit, ut illam daret, et cum illa non solum potestatem, sed etiam velle homini donaret. Tertio, negamus posuisse Augustinum efficacitatem vocationis in aliquo auxilio prædeterminante, ipsi vocationi adjuncto, et ab omni auxilio excitante distincto. Et hæc duo probanda a nobis sunt; et quia præcipua loca ex quibus sumuntur, eadem fere sunt cum illis quibus primum punctum probavimus, ideo breviter in singulis designabimus verba quæ ad rem præsentem faciunt, et illis alia testimonia, si occurrerint, adjungemus.

2. *Testimonium de efficacia vocationis per congruitatem ad hominem.* — Primo igitur Augustinus explicat efficaciam vocationis per congruitatem ad hominem qui vocatur, in lib. 1 ad Simplician., quæst. 2, ubi, postquam distinxit vocationem efficacem, quam vocat *effetricem bonæ voluntatis*, ab inefficaci, sic concludit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem.* Unde subdit inferius: *Illi electi qui congruenter vocati.* Et infra: *Non volentis, etc., quia, etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ista vocat, quomodo eis aptum est ut sequantur.* Et infra: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

3. *Defensio pro Augustino.* — Ad hoc testimonium quidam ex defensoribus alterius sententiæ, cum non posset negare in illo esse sermonem de congrua vocatione, ausus est dicere, in omnibus quæ ibi tractat Augustinus de vocatione congrua, non loqui ex propria sententia veritatem definiendo, sed solum disputando, et inquirendo usque ad illa verba: *Et tamen intueamur superiora, et inde nostram, quantum ipse Dominus dederit, sententiam proferamus.* Nam interrogando, et respondendo ac replicando, processerat usque ad illa verba, quæ præ se ferunt initium definitæ sententiæ, unde et in margine notatur, *conclusio quæstionis.* Sed hoc audiendum non est. Primo, quia idem Augustinus, lib. de Prædestinat. Sanctor., cap. 4, et lib. 2 de Retract., cap. 1, recognoscens et allegans quæstionem illam, illam simpliciter approbat, et laboratum in-

quit in ea esse pro libero arbitrio, et vicisse gratiam Dei. Secundo, quia ille modus interrogandi, quo Augustinus utitur, non est indicium dubitantis, quin ex alterius sententia loquentis; nam ille est ordinarius modus procedendi Augustini subtiliter inquirentis veritatem. Unde ad singulas interrogationes statim adhibet responsionem, et in ea propriam sententiam ad talem interrogationem pertinentem satis declarat, et ita ad quæstionem principaliter propositam resolvendam progreditur. In illa autem quæstione, cum principaliter proposuisset exponere verba Pauli ad Rom. 9: *Cum enim nondum nati essent, etc.*, statim illa ex propria sententia explicare aggreditur, dicens: *Quo adjutorio fidentior factus aggredior. Et primo intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo; nimirum, quod gratia non detur ex meritis, sed ex liberalitate Dei.* Et ad declarandum et defendendum hoc fundamentum, utitur variis interrogationibus, per modum objectionum, quibus satisfacit distinctione vocationis congruæ et non congruæ, seu singularis et communis, ex proposito vel ex generali providentia. Et ita totam illam doctrinam affert, ut maxime propriam, et quasi denuo sibi revelatam, ut in citatis locis significat. Tertio, hæc mens Augustini ex aliis ejus locis colligitur, in quibus per eandem vocationem explicat mysterium divinæ gratiæ et prædestinationis, et quia in prioribus operibus suis parum de illa disseruerat, hoc ipsum tanquam proprium defectum ipse notat, lib. 1 Retract., c. 23. Qui ergo credibile est, in illa præcipua quæstione non esse locutum de vocatione ex propria sententia?

4. Quarto, si expositionem illam admittamus, tota doctrina, quam Augustinus tradit in illa quæstione per septem columnas, a principio usque ad dicta verba: *Et tamen intueamur superiora*, erit inutilis, ac nullius auctoritatis, quod absurdissimum est, et contra omnes qui postea scripserunt, et quæstionem illam allegarunt. Quinto, verba illa: *Et tamen intueamur superiora*, nihil colligunt, imo verum sensum dictum confirmant. Nam si per illa superiora totam doctrinam præcedentem intellegamus, potius inde colligimus, illa omnia tanquam vera et certa Augustinum supponere, et ex illis tanquam ex veris fundamentis a se jaectis principalem quæstionem resolvere et definire; si vero particula superiora (quod verius est) ad sola verba Pauli, quæ proxime tractabat, referatur, ex illis nihil colligitur contra doctrinam in eadem quæstione prius

datam. Devenerat enim Augustinus ad interrogandum quomodo Deus juste de hominibus conqueratur, si cuius vult miseretur, et quem vult indurat, et non potius de Deo juste conqueri possint quod tam inæqualiter cum eis se gerat. Et ut respondeat, dicit intuenda esse superiora verba, utique Pauli, nam subjungit: *Ait enim paulo ante: Quid ergo dicemus? numquid iniquitas est apud Deum?* Ex his respondet non inique agere Deum, cum de peccatoribus conqueritur, quia ille non cogit ad peccandum, nec sufficientem vocationem negat; neque etiam posse eosdem peccatores juste de Deo conqueri, quod eos non congrue vocet, sicut alios, quia neque in hoc inique agit, cum nihil eis debitum neget, et dona sua possit cui voluerit gratis donare. Ex quo vero sensu, non solum non infirmantur superiora, sed potius confirmantur, quia nullum aliud medium expediendæ quæstionis attulit, sed ex jactis fundamentis illam resolvit. Sexto, denique hoc fit evidens, quia etiam post illa verba: *Et intueamur superiora*, ad idem expresse revolvitur, nam paulo post dicit: *Conqueritur autem juste de peccatoribus, tanquam de his quos peccare ipse non cogit; simul etiam, ut hi quorum ipse miseretur, hanc quoque habeant vocationem, ut dum Deus de peccatoribus conqueritur, compungantur corde, atque ad ejus gratiam convertantur.* Et paulo inferius: *Hæc demonstratio potentia Dei, et annuntiatio nominis ejus in universa terra, prodest eis, ut timeant, et vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit.* Et inferius, in Epilogo quæstionis: *Præcipimur (ait) ut credamus, sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur.* Ubi non solum reddit ad vocationem, sed etiam declarat in quo consistat, utique in tactu cordis, non in prædeterminatione. Quia vero non omnis tactus est efficax, subdit: *Quis habet in potestate, tali viso tangi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem.* Et usque ad finem quæstionis eandem doctrinam eisdem fere verbis sæpius inculcat; quomodo ergo de illa in superioribus verbis ex propria sententia non est locutus? Non potest itaque de mente Augustini in illo loco dubitari.

5. *Aliud testimonium priori non dissimile.* — Notandum. — Advertendum eandem vocationem posse esse congruam uni, et non alteri. — Secundum testimonium, non dissimile præcedenti, sumimus ex lib. de Dono persever., cap. 14. Nam de Tyriis et Sidoniis dicit: *Etiam credere potuerunt, si mira illa Christi*

*signa vidissent.* Ubi oportet semel notare loqui Augustinum de potestate, quæ reduceretur in actum, ut ex contextu aperte constat, et est frequens ejus phrasis, tam ibi quam in dicta quæstione ad Simplicianum, et aliis. Unde in prædicto loco paulo post subjungit: *Nec sic duratum erat cor Tyriorum et Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti, signa vidissent.* Et tamen de eisdem addit: *Sed quoniam ut crederent non erat eis datum (utique per prædestinationem), etiam unde crederent est negatum, scilicet, vocatio congrua.* Et ideo subinfert: *Ex quo intelligimus habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Non poterat certe clarioribus verbis explicare quomodo efficacia vocationis ex congruitate ad vocatum pertineat. Et tam in hoc quam in præcedenti testimonio oportet advertere, docere Augustinum eandem vocationem esse posse congruam uni et non alteri; non certe ex conjunctione, vel defectu auxilii prædeterminantis, jam enim non esset eadem vocatio, si sub vocatione congrua tale auxilium comprehenditur; ergo ex congruitate ad vocatum. Unde dicit alibi idem Augustinus vocationem interdum differri, ut sit congrua in uno tempore, quæ non esset in alio: sic enim in expositione Psalm. 142, circa illa verba: *Cito exaudi me, Domine*, inquit: *Pluviam differebas, ut hauriens imbiberem, non respuerem quod insueres. Si ergo ideo differebas, jam da, quia anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Captat ergo Deus, secundum Augustinum, occasiones vocandi congrue, quod certe non esset necessarium, si in prædeterminatione necessitas posita esset.

6. Tertio, idem probatur ex libro de Prædeterminatione Sanctorum, capite 16, ubi, ponens vocationem in interna doctrina, qua homines sunt interius docibiles Dei, efficaciam ejus declarat, in fine dicens: *Ad hanc vocationem omnes qui pertinent, sunt docibiles Dei, nec potest quisquam eorum dicere: Credidi, ut sic vocarer; prævenit enim eum misericordia Dei, quia sic vocatus est ut crederet, id est, ut congruebat audienti, ut disceret; et cap. 19 similiter ait: Illa vocatione id prorsus agitur, et peragitur, ut credamus; et cap. 20 dicit: Hoc donum gratis in illam purpurariam descenderat, cui, sicut Scriptura dicit in Actibus Apostolorum, Deus aperuerat sensum ejus, ut intenderet in ea quæ dicebantur a Paulo; sic enim vocabatur, ut crederet.* In ipsa

ergo vocatione ponit illum modum accommodatum recipienti, ratione cujus dicitur, *sic vocari, ut credat*, quem modum, aliis locis, per congruitatem ad eum qui vocatur, declarat. Et in epist. 107 ad Vitalem exposuit per illa verba: *Sic ejus agit sensum, ut accommodet assensum, quod inferius dicit fieri per occultam inspirationem Dei.* Inspiratio ergo ipsa quæ est vocatio, quatenus ita datur homini ut accommodet assensum, quod est dari cum congruitate ad suscipientem, est auxilium efficax.

7. Quarto, idem probari potest ex omnibus locis dicto cap. 5 allegatis, in quibus Augustinus docet dare Deum efficacem gratiam, præparando voluntatem per vocationem occultam et secretam, adjungendo alia loca, in quibus ait hanc præparationem voluntatis fieri per revelationem internam, et spirituales delectationem quam infundit, ut sumitur ex lib. 2 de Peccator. merit., cap. 17, et lib. de Grat. Christi, cap. 10 et 14, et de Prædeterminat. Sanctor., cap. 8. Et similia sunt loca in quibus ait hoc fieri per internam Spiritus Sancti persuasionem; quando enim suasio fit modo ita accommodato audienti, ut persuadeatur, tunc recte dicitur persuasio. Unde in lib. de Natur. et grat., cap. 25: *Magnus est Dominus qui persuadet, quomodo ipse novit.* Et in lib. de Spirit. et litter., cum prius, in cap. 33, rationem cur, ex duobus audientibus Evangelium, unus credit et alius non credit, ex arbitrii libertate, quia unus vult et alius non vult, reddidisset, quia per hoc non satis explicatur donum gratiæ, addit in cap. 34: *Non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, et sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire, propriae voluntatis est.* Ubi expendimus imprimis non alium modum suasionis internæ ponere Augustinum, nisi moralem, et per actus vitales, mediis objectis potentias nostras excitantibus. *Et his modis (ait inferius) agit Deus cum anima rationali, ut ei credat*, quia credere non potest, nisi sit aliqua suasio, vel vocatio cui credat; et sic, ait, ipsum velle Deus operatur in nobis. Totum ergo negotium ex parte antecedentis gratiæ tribuit vocationi et suasioni, et specialem misericordiam et profunditatem mysterii in hoc solum ponit, quod huic ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita. Et nihilominus con-

cludit: *Consentire et dissentire propriae voluntatis est*, non quia consentire sit solius voluntatis sine adjutorio concomitantis gratiæ, sed quia vocatio, quantumvis congrua, non adigit voluntatem ad alterutram partem; quam doctrinam habet etiam in lib. 83 Quæstionum, quæst. 68, et lib. de Grat. Christi, cap. 10; et in lib. 7 Confession., cap. 6, notari possunt illa verba: *Tu, Domine, justissime moderator universitatis, consulentibus consultisque nescentibus occulto instinctu agis, ut dum quisque consulit, hoc audiat, quod eum oportet audire.*

8. *Solutio.* — *Impugnatur.* — At potest aliquis dicere suasionem transire in persuasionem, quando illi adjungitur novum auxilium prædeterminans, vel intellectum, ut judicet ita esse credendum, vel voluntatem, ut velit credere. Sed contra hoc est imprimis, quod nunquam Augustinus in omnibus dictis locis hoc insinuavit. Estque profecto mirabile quod jubeant nos credere Augustinum posuisse discrimen et rationem in sola physica prædeterminatione, cum Augustinus in illis locis, in quibus principaliter hoc agit, ut declarat quomodo Deus in nobis faciat ut velimus, semper id per internam suasionem et vitalem excitationem declarat, nulla facta mentione prædeterminationis; et cum rursus inquit unde habeat suasio illa, quod hunc persuadeat et non illum, nunquam id tribuit soli voluntati vel prædeterminationi Dei, sed aliis modis per congruitatem ad suscipientem id explicare conatur. Accedit quod ipsum verbum *persuadendi*, vel nomen *persuasionis*, non nisi impropriissime potest applicari physicae prædeterminationi, cum persuasio fiat vitali et humano modo, illuminando intellectum, et excitando affectum; prædeterminatio autem fiat vi quadam de se communi facultatibus non vitalibus, etiam non sentientibus, nedum intelligentibus. Denique, probando secundam partem propositam, quod nimirum Augustinus non in auxilio physico ac prævio, addito vocationi, sed in ipsamet vocatione et modo illius, ipsiusmet efficaciam posuerit, aperte concludemus, non in alio modo quam in congruitate vocationis, ad quam immediate sequatur consensus cum auxilio concomitante ac physice adjuvante, efficacitatem prævenientis gratiæ posuisse.

9. Altera ergo pars negativa, quam proposui probandam, ex eisdem fere locis, aliis eorum verbis ponderatis, eruenda est. Nam imprimis in dicta quæst. 2 ad Simplician., semper docet ratione vocationis tribui Deo nostrum

velle; sic enim ait: *Quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur. Non igitur dictum est putandum: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius quia nisi ejus vocatione non volumus.* Igitur, ex sententia Augustini, necessarium non est aliquod auxilium præveniens, præter vocationem, ratione cujus tribuitur soli Deo bona voluntas hominis, sed sufficit vocatio congrua, quam ipse, quibus vult, ex sua misericordia confert. Confirmatur valde hoc testimonium, quia vocatio, quæ in aliquo non est efficax, ejus duritiæ et resistentiæ tribuitur; hæc autem vera esse non possent, si efficacia vocationis penderet ex sola voluntate Dei, vel (quod perinde est) a novo auxilio præveniente ac prædeterminante, quod Deus pro suo arbitrio dat vel negat quibus vult; ergo, ex mente Augustini, non est necessarium tale auxilium. Consequentia evidens est, nisi quis velit dicere Augustinum illam non vidisse, et repugnantia docuisse. Minor autem late probata est in cap. 11. Major vero patet ex verbis illis: *Noluit Esau, et non cucurrit, sed et si voluisset, cucurrisset.* Haberet ergo auxilium efficax si voluisset; nam sine auxilio efficaci, nec velle, nec currere potuisset; et ideo subdit: *Qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi, vocatione contempta, reprobus fieret;* ergo inefficacia vocationis ex culpa hominis procedit, non ex defectu auxilii prædeterminantis, secundum Augustinum.

10. *Confirmatur secundum testimonium superius adductum. — Ponitur vocandi modus. — Confirmatur ulterius idem testimonium ex illis verbis: An forte illi qui hoc modo vocati, non consentiunt vocationi, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut et illud verum sit: Multi vocati, pauci vero electi; ut, quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei suscipiende inveniantur idonei; et illud non minus verum sit: Non volentis, sed Dei miserentis, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem.* Ubi interrogo quisnam sit ille modus vocationis, de quo his verbis loquitur Augustinus. Nam si auxilium prædeterminans necessarium est, nullo alio modo potest vocatio esse efficax, nisi quia præter excitationem habet adjunctam prædeterminationem; neque

inefficax, nisi quia datur sine prædeterminatione. Augustinus autem non potest de hoc modo intelligi, quia, secundum modum illum, omnes vocati, sine ulla alia consideratione, et quomodocumque affecti sint, consentiunt vocationi, si illo modo vocentur, et non consentient si tantum excitentur et non prædeterminentur, quod consequenter concedunt adversarii: si autem hoc verum est, impertinens est tota illa doctrina Augustini, quam millies repetit, ut videbimus. Item quia non recte diceret Augustinus, quod qui non consentit, alio modo vocatus accommodaret fidei voluntatem, sed potius dicere debuisset, quod Deus determinaret ejus voluntatem ad fidem. Cum ergo dicit: *Accommodaret fidei voluntatem,* aperte sentit post vocationem congruentem, sine alia præveniente determinatione Dei, ipsam voluntatem cum cooperante auxilio sese fidei accommodare. Præterea, expresse dicit, ex pluribus uno modo vocatis, quosdam sequi vocationem, alios non sequi, et misericordiam singularem Dei, erga eos qui sequuntur vocationem, esse, quia illo modo utrosque vocavit potius quam alio; ergo ille modus non potest consistere in prædeterminationem; non est data omnibus illis, nam si talis data esset omnibus, omnes consentirent, quocumque modo essent affecti, et sine illo modo in nemine haberet effectum, juxta illam sententiam. Est ergo evidens Augustinum loqui de vocatione eodem modo collata, intra propriam rationem excitationis.

11. *Aliud notandum ex Augustino. — Et hoc ipsum his verbis paulo inferius explicat: Cum ergo alius sic, alius vero sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est.* Ubi obiter notari potest vocationem congruam, secundum Augustinum, talem esse ut relinquat vocato potestatem applicandi et conjungendi voluntatem suam ad fidem, seu, prout antea dixerat, *accommodandi voluntatem suam fidei.* Nam his verbis satis significatur, etiam post vocationem efficacem, manere determinationem in libera potestate voluntatis, ac subinde non intervenire prædeterminans auxilium, quod inde etiam fit perspicuum, quia si in tali modo auxilii posita esset efficacia, nec dubitari posset an talis modus futurus esset efficax in Esau, nec in illo haberet locum quod sub-

dit: *Quod si tanta esse potest obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat, etc.;* nam contra prædeterminationem evidentissimum est neminem posse obdurescere; quia tamen Augustinus non prædeterminationi, sed vocationi moraliter inducenti efficaciam antecedentem tribuebat, ideo illi dubitationi locum esse consideravit. Et nihilominus adjungit: *Quis dicat modum, quo ei persuaderetur ut crederet, etiam Omnipotenti defuisse?* Ubi etiam vis verbi *persuaderetur* ponderanda est, juxta alia quæ diximus. Certe, qui sincere et sine affectione quæstionem illam, et seriem doctrinæ, et Augustini discursum consideraverit, dubitare non poterit quin ad vocationem efficacem nullum auxilium prædeterminans, vel distinctum a vocatione ipsa et interno modo persuasionis ejus postulaverit.

12. *Confirmatur testimonio Augustini. —* Secundo, hoc confirmat aliud testimonium ex lib. de Persever., cap. 14, nam certe si differentia substantialis, ut sic dicam, inter vocationem efficacem et non efficacem, consisteret in adjuncto vel non adjuncto alio auxilio prædeterminante, male Augustinus, ex eo quod Tyrii crederent visis illis signis cum quibus non crediderunt Judæi, intulit fuisse diversitatem aliam antecedentem inter Judæos et Tyrios, vel in lumine naturalis intelligentiæ, vel in cordis obduratione, seu dispositione. Nam sine tali diversitate, cæteris omnibus æqualibus antecedenter, hi crederent, et illi non crederent, solum quia hos voluit Deus prædeterminare, et non illos, quod quidem consequenter concedunt Alvarez, Ledesma, et alii contrarium opinantes, ut supra retuli, et infra etiam in capite speciali dicam. Quantum vero id repugnet Augustino, constat ex verbis illis: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio, etc.;* nihil enim tale apparet, si sola prædeterminatio consummat illam differentiam, et ad eam sufficit, imo est tota causa illius. Est ergo talis prædeterminatio aliena a mente Augustini.

13. *Confirmatur ex eodem. —* Tertio, est magnum argumentum, quod ubique Augustinus, in operibus gratiæ, non tribuit soli Deo nisi vocationem, et nunquam nisi ratione illius tribuit Deo, quod faciat nos velle, neque inter vocationem et consensum factum cum auxilio cooperante, ponit medium auxilium præveniens voluntatem, et faciens eam facere: incredibile autem est hæc omnia prætermisisse, si hæc omnia in auxilio prædetermi-

nante posita essent. Assumptio probatur ex eisdem locis, nam in quæst. 2 ad Simplician.: *Ut velimus (ait), suum voluit esse et nostrum, suum vocando, et nostrum sequendo.* Certe si prædeterminatio necessaria est, potius dicere debuisset: *Suum prædeterminando, quia quidquid est in vocatione præter prædeterminationem, est etiam in eo, in quo de facto Deus non operatur ipsum velle; et quia, juxta illam sententiam, prædeterminatio sola est quæ dat vocationi illam efficaciam.* Augustinus autem nihil tale dixit, sed vocationi immediate adjunxit consensum. Optimeque idem probatur ex lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 5, ubi de Paulo ait: *Quod conversus fuerit, nec gratia erat sola, nec voluntas erat sola; ut autem vocaretur, gratia fuit sola.* Nec aliam gratiam præviam ponit, quam Deus solus in illo effecerit. Item probatur ex Enchirid., cap. 32; dubitans enim quomodo sit verum illud: *Non est volentis, etc.,* cum nemo salutem operetur et consequatur nisi volens, respondet: *Non nisi quia ipsa voluntas (ut scriptum est) a Deo præparatur.* Quod, ut in aliis locis, tum hic, tum cap. 5 citatis docet, non fit nisi per vocationem et auxilia excitantia. Unde in eodem loco concludit: *Detur soli Deo, qui bonam voluntatem et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam.* Neutrum autem horum facit Deus prædeterminando, sed adjuvat cooperando, et præparat excitando. Unde lib. 2 contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 10, sic inquit: *Studium hominis quod dicitur bonum, quamvis cum esse cæperit, adjuvetur gratia, non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus: Gratias autem Deo qui dedit idem studium in corde tibi,* ubi notanda sunt verba illa: *Cum esse cæperit, adjuvetur gratia,* optime enim explicant concomitantiam gratiæ adjuvantis sine præveniente. Alia vero: *Sed ab illo inspiratur,* aperte declarant prævenientem tantum esse per inspirationem, et ab illa duci initium boni studii, et ratione illius dici dare hujusmodi studium in corde. Et similem doctrinam habet locis allegatis de Prædestin. Sanctor., cap. 5, 16 et 19; epist. 107 ad Vitalem, et de Natur. et Grat., cap. 32; lib. 83 Quæstionum, q. 68, et serm. 13 et 15 de Verbis Apostoli.

14. *Notandum. —* Quarto, notari potest, in doctrina Augustini, non ponere efficaciam prævenientis gratiæ in uno modo movendi uniformiter (ut sic dicam), et ejusdem rationis in omnibus qui convertuntur, sed in variis et mirabilibus modis; ergo signum est non ponere